

Notæ ad Marmor CXVIII.

151

Lucius & Caius Pedii, qui statuam posuere, ut tum Marmor, tum nomen indicant, Romani fuere. Pedii enim familia Romæ ex equestri ordine, ut è Marmoribus Gruterianis constat, in quibus mentio est <sup>a</sup> L. Pedii & M. Pedii Equitum Romanorum, & <sup>b</sup> Sexti Pedii Procuratoris Augustalis, Procuratorium autem munus <sup>c</sup> equestris nobilitas fuit. Ex his Pediis pauci in historia noti; celeberrimus eorum erat Q. Pedius, <sup>d</sup> qui Cæsaris in Hispaniâ contra Pompeii filios legatus fuit, <sup>e</sup> de iisque victis triumphavit, inde Cæsaris favorem adeptus ab eo <sup>f</sup> Cohæres Augusto dabatur; Augusti igitur partes summo studio sequebatur, atque ideo ab eo, <sup>g</sup> cum post occisos Hirtium & Panfam primum consulatum gessisset, in collegam assumtus fuit, in quo Consulatu contra Cæsaris occisores legem tulit, quæ ab ejus nomine Lex Pedia dicebatur. <sup>h</sup> Hujus Pedii nepos erat alius Q. Pedius, qui cum natura mutus esset, pingendi arti se dedit, eaque evasit celeberrimus. De Duobus his Pediis in Historia lego, de aliis vero hujus nominis (exceptis Marmoribus Gruterianis, quæ supra citavimus) nullibi; quinam igitur fuerant Lucius & Caius Pedii, de quibus hic agitur, nullam habeo auctoritatem, unde possim indicare.

Duo Ptolemæi erant Ægypti Reges, qui Evergetæ dicebantur, tertius scilicet & septimus. Tertius <sup>i</sup> filius erat Ptolemæi Philadelphi (qui Biblia è Lingua Hebræa in Græcam <sup>l</sup> transferenda curavit) & Ptolemæi Lagi (qui Macedonum primus <sup>m</sup> in Ægypto regnavit) nepos. De bello illius cum Seleuco Callinico Syriæ Rege in vindictam cædis Sororis Berenices gesto, & expeditione illius in Syriam & Babyloniam susceptâ <sup>n</sup> supra diximus. Post reditum ab illa expeditione, <sup>o</sup> quod capta Babylonia inter spolia vasa pretiosa & Deorum simulacra, quæ Cambyfes olim captâ Ægypto in Persas portaverat, ad Ægyptios iterum secum reduxerit, ab iis deos suos iterum recipientibus, quasi summus erga eos benefactor, *Εὐεργέτης* deinde dicebatur. Hujus uxorem fuisse solam invenio Berenicem, <sup>p</sup> cujus comam (quam ipsa marito in Syriam profecto pro ejus salute devovens post felicem reditum succisam in delubro quodam Diis consecraverat) Conon Mathematicus in Cœlum sublatam fingens inter Constellationes numeravit. Fallitur igitur magnus Armachanus, qui dicit Ptolemæum Evergetam præter Berenicem etiam Agathocleam uxorem habuisse, eamque Ptolemæi Philopatoris matrem fuisse, cum enim Strabo dicat, <sup>r</sup> *ἔθ' ὁ Φιλοπάτωρ ὁ Ἄγαθοκλείας*, intelligendum est ibi Ptolemæum non Agathocleæ filium, sed amasium dici, eum enim meretricem <sup>s</sup> Agathocleam dictam habuisse, cujus illecebris se totum dedit, satis notum est in Historia. In simili errore etiam est <sup>a</sup> Simpsonus, secundum quem tum ille Ægypti Rex, ad quem ab Onia Pontifice <sup>t</sup> Josephus filius Tobix, tum ad quem ab eodem Josepho Hyrcanus filius illius legationes susceperant, Ptolemæus Evergetes fuerat: atque ideo ille reginam Cleopatram dictam ex auctoritate Josephi habuit; <sup>u</sup> Josephus enim in utriusque legationis historia Cleopatrx Reginx mentionem facit. Sed hic Error ex ipso Josepho facile est diluendus; narrat enim <sup>d</sup> ille, Josephum Tobix filium susceptâ ad Ptolemæum legatione tributo totius Syriæ colligendo præpositum fuisse, inde valde divitem evasisse, & in senectute Hyrcanum filium suum ad Ptolemæum, eo tempore quo è Cleopatra Regina filium susceperat, cum donis misisse, <sup>e</sup> & tandem regnante in Syria Seleuco filio Antiochi magni mortem obiisse, cum 22 annis vectigalibus Syriæ Judææ & Samariæ præfuisset. Post ejus obitum, narrante <sup>f</sup> eodem Josepho, Hyrcanus cum fratribus aliquandiu de imperio certavit est, sed tandem trans Jordanem pulsus, ibi septem annis vectigalibus illius regionis colligen-

<sup>a</sup> Grut. pag. 448. <sup>b</sup> Grut. pag. 595. Marm. 8. <sup>c</sup> Tacitus in vita Agricolæ. <sup>d</sup> Dio Cass. lib. 43. <sup>e</sup> Dio Cass. lib. 41. Plin. lib. 35. c. 4. <sup>f</sup> Plin. ib. <sup>g</sup> Dio Cass. lib. 46. <sup>h</sup> Plin. ib. <sup>i</sup> Vide Justinum Strabonem l. 17. Polybium, aliosque. <sup>l</sup> Josephus l. b. 12. <sup>m</sup> Vide Diodorum Siculum. Plutarchum in Eumene. Justinum, aliosque. <sup>n</sup> In vita Seleuci Callinici notis ad Marm. primum præmissis. <sup>o</sup> Hieronymus in 11. cap. Danielis. <sup>p</sup> Hefychius in Lexico. Nonnus in Historiarum *συναγωγῆ*. <sup>q</sup> Ad an. I. P. 4493. <sup>r</sup> Lib. 17. <sup>s</sup> Vide Plutarchum in Cleomene, & Justinum lib. 30. <sup>t</sup> Ad A. M. 3761. <sup>u</sup> Vide Josephum lib. 12. c. 4. <sup>v</sup> Jos. ib. <sup>w</sup> Jos. ib. <sup>x</sup> Jos. ib. circa finem capitis. <sup>y</sup> Lib. 12. c. 5.

dis